



## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Cvrsvs Theologici ...**

Ea Brevitate Conscriptus, Qvam Tot Tantarvmqve Rervm Amplitudo Et  
Varietas Patitvr ...

Quas Prima Pars Et Prima Secundæ Divi Thomæ Complectvntvr -  
Qvæstiones Insvper Ad Mores & praxim spectantes, quæ peculiarem cum  
Scholasticis habent connexionem, declarantur

**Carleton, Thomas Compton**

**Leodii, 1659**

Dispvatio Decima. De Visione Dei.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13718**

# DISPUTATIO DECIMA.

## De Visione Dei.

**T**RIA potissimum de Dei visione occurrunt inquirenda: ejus nimirum possibilitas, seu an essentia divina clarè & immediatè ab intellectu humano aut Angelico conspici possit. Secundò, illius causæ inquirendæ. Tertio denique natura ejus & proprietates indagandæ. Quæ omnia sequentibus Disputationibus, eâ quam rerum varietas patietur, breuitate discutiam.

### SECTIO PRIMA.

#### Positè elevari intellectus creatus ad clarè videndum Deum.

I. *Claram Dei visionem intellectu creato esse impossibilem dixerunt nonnulli.*



ANCTUS GREGORIUS lib. 18. Moral. cap. 38. hæreticos olim quosdam dixisse refert, claram Dei visionem cuius intellectui creato, etiam supernaturaliter, esse impossibilem. Qui etiam fuit error Armenorum, & Abailardi, ut affirmat Vasquez Tom. 1. in 3. p. d. 37. cap. primo. Horum ergo sententia fuit, Deum in sua substantia ab humano vel Angelico intellectu clarè & immediatè videri non posse, sed similitudinem tantum quandam illius, seu magnam lucem à beatis cerni asserbant. Sanderus tamen lib. 7. Visib. Monarchiæ, hæresi 118. ait, Armenos hoc solum asserere usque ad extremum iudicii diem, post hunc verò non negare Dei essentiam à beatis clarè & intuitivè videndam.

II. *Quo sensu Patres aliqui Deum intellectu creato dixerint esse invisibilem.*

Imò nonnulli ex sanctis Patribus, tum Græcis, tum Latinis, præsertim S. Chrysostomus, in hac etiam sententia fuisse videntur. Eorum dicta videri possunt apud Vasquez citatum, & Suarez hinc lib. 2. c. 7. n. 15. Hi tamen Patres variis modis explicari possunt: aliqui, non posse videri Deum in hac vita; alii, oculis corporeis; alii, viribus naturæ. Imò, inquit Suarez citatus, fatius multo est eos uno ex his modis intelligere, quam dicere tot Patres in tam apertum errorem, & Scripturis tam manifestè contrarium incidisse.

III. *Explicatio S. Chrysostomi, dum negare videtur, claram Dei visionem esse possibilem.*

Sanctus verò Chrysostomus, qui inter omnes hac in parte explicatu est difficillimus, intelligi potest, cum negare videtur Deum posse videri, solum loqui de visione comprehensivâ, quo eum modo explicat S. Thomas hic quæst. 12. art. 1. ad primum: Homiliâ enim illâ 14. habet visionem, de qua ibi loquitur, & negat Angelis esse certissimam Patris considerationem, & considerationem tantam, quantum Pater habet de Filio. Deinde Homiliâ 4. de Incomprehensibili Dei naturâ ait, Non posse creaturam exquisitâ ratione Deum cognoscere, cognitione expressâ & integrâ.

IV. *Anomæorum error, quem confutat S. Chrysostomus.*

Quæ explicatio exinde confirmatur, quòd S. Chrysostomus in quibusque illis Homiliis de Incomprehensibili Dei naturâ, in quibus negare videtur, Deum ab intellectu creato videri posse, disputet contra Anomæos, qui Deum ita videri posse dicebant, ut comprehenderetur. Contra hos, inquam, acerrimè invehitur S. Chrysostomus, & contendit nullum omnino intellectum, præter divinum, Deum ita cognoscere posse, ut eum comprehendat. Quòd si illius verba nonnunquam plus insinuate videantur, observandus est, inquit Suarez

citatus num. 18. mos sanctorum Patrum, qui, cum hæreticos impugnant, ita interdum loquuntur, ut in oppositum declinare videantur: ideòque ut ait idem hæc eorum dicta facilius est intelligere juxta exigentiam erroris, quem impugnant.

Veritas igitur Catholica est, Deum ab intellectu creato supernaturaliter clarè cerni posse. Ita constans & conspirans Theologorum omnium sententia, apertissimis sacræ Scripturæ testimoniis innixa. Sic Matthæi 5. v. 8. dicitur: *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Item Matthæi 18. vers. 10. *Angeli eorum in cælis semper vident faciem Patris mei, qui in cælis est.* Sic 1. ad Corinth. 13. v. 12. *Videmus nunc per speculum in ænigmate: tunc autem facie ad faciem. Nunc cognosco ex parte: tunc autem cognoscam sicut & cognitus sum.* Primæ etiam Joannis 3. v. 2. *Cum apparuerit, similes ei erimus: videbimus enim eum sicuti est.* Hæc autem, videre scilicet sine speculo & ænigmate: videre sicuti est, &c. aperte indicant visionem claram, & immediatam.

Idem constat ex variis Ecclesiæ definitionibus: sic namque habetur in Concil. Francofor. Epistola ad Episcopos Hispaniæ: *Prædicemus Christum, unum Deum & vivum, & verè Filium Dei, ut ad ejus beatissimam visionem pervenire mereamur, in qua est æterna beatitudo.* Item in Concil. Florentino, in literis unionis, definitur, *Beatas animas clarè intueri Deum Trinum & Unum, ut est in se.* Hoc etiam definitum est ab Evaristo primo, & Benedicto undecimo, vel potius duodecimo, ut refert Suarez citatus num. sexto.

Frequentes etiam in hac veritate astruendâ sunt sancti Patres: sic S. Epiphanius Hæresi 70. *Invisibilis est, inquit, natura, & incomprehensibilis gloria; si verò vult conspici ab homine, nihil adversatur ipsius voluntati.* Idem expressè docent alii: S. Gregorius Nazianzenus Orat. 25. S. Greg. Nyssenus Orat. 6. de beatit. Origenes lib. 7. contra Celsum, & 1. Periarchon, c. 1. S. Augustinus Tom. 2. Ep. 6. & III. & alibi. S. Gregorius libro 18. Moral. cap. 36. Denique S. Bernardus Serm. 31. in Cantica, ubi agens de Visione beatifica, sic habet: *Talis visio non est præsentis vitæ, sed in novissimis reservatur, his duratæ, qui dicere possunt, scimus quia cum apparuerit, similes ei erimus, quia videbimus eum sicuti est.* Ex quibus constat, ut supra diximus, si nonnulli ex his Patribus interdum dicere videantur, claram Dei visionem intellectu creato esse impossibilem, uno ex iis modis explicandos esse, quos posui n. 2. 3. & 4. Quare non satis rectè dixit P. Vasquez hinc d. 37. c. 3. & 5. *Vix posse eos in bonum sensum explicari: in quem proinde hoc nomine aliqui acerbè invehuntur: eum nihilominus hac in re defendunt P. Herice Tract. 4. de Visione Dei, Disp. 36. c. 2. & 3. & P. Arriaga, hinc d. 4. sect. 2. n. 10.*

V. *Certum est, Deum ab intellectu creato supernaturaliter cerni posse.*

VI. *Varia Ecclesiæ definitio- nes de clarâ Dei visione.*

VII. *Claram Dei visionem docent Patres.*

### SECTIO

SECTIO SECUNDA.

Solvuntur Armenorum objectiones contra claram visionem Dei.

**I.** *Quo sensu in Scripturis Deus interdum dicitur invisibilis.* **O**BJICIUNT primò: Deum in Scripturâ frequenter dici invisibilem: sic 1. ad Timoth. 6. v. 16. *Qui lucem habitat inaccessibilem: quem nullus hominum vidit, sed nec videre potest.* Item Joan. 1. v. 18. *Deum nemo vidit unquam.* Resp. de mente sacræ Scripturæ fati constare ex testimoniis scè. præcedente, n. 5. allatis. Dico itaque, his locis solummodò denotari, Deum in hac vitâ à nemine, de lege saltem ordinariâ, clarè conspici posse: vel nequire cerni oculis corporeis, aut solis naturæ viribus; has enim omnes interpretationes hæc & similia Scripturæ loca commodè patiuntur.

**II.** *Qua ratione Angeli Deum videre desiderant.* **O**BJICI potest secundò: dici Angelos desiderare conspiciere Deum: sic 1. Petri, 1. v. 12. *In quem desiderant Angeli prospicere:* Non autem desideramus nisi id quòd abest. Sed contrâ primò; hoc enim ad summum probat, eos Deum de factò non videre, non tamen videre non posse. Contrâ secundò: probat aperte visionem Dei esse possibilem; cum enim Angeli eam desiderant, hoc suo desiderio aliquando potentur, alioqui essent miserimi, quippe qui illud desiderant, quod nec habebunt unquam, nec habere possunt, cum, ut supponitur, sit impossibile.

**III.** *Desiderium duplex: proprium & improprium.* Respondetur itaque cum S. Gregorio lib. 18. Moral. cap. 39. non esse id propriè desiderium, seu de re absente, sed per hunc modum loquendi denotari, quo affectu Angeli Deum videant, ita scilicet, ut eum semper videre velint, nec unquam visione illius itâ fatientur, ut inde eis proveniat fastidium. Tandem dici potest, visionem Dei pro frequente instante abesse physicè (licet moraliter sit præsens, cum sit incorruptibilis, & ipsi hoc norint) sicque pro illo instante quo abest, & sic deinceps, visionem illam sine solitudine desiderare possunt.

**IV.** *Visio clara Dei, objecti infiniti, non est necessariò infinita.* **O**BJICITUR tertio: sequi, visionem hanc fore infinitam: tantum enim hæc visio superabit alias visiones, quantum ejus objectum superat alia objecta: sed Deus objecta alia superat infinite, ergo & ejus visio alias visiones superabit etiam infinite. Sed contrâ: ergo cognitio abstractiva Dei erit infinita, cum ejus objectum infinite superet alia objecta abstractivè cognita. Si igitur secundum proportionem objecti crescat perfectio cognitionis, cognitio etiam abstractiva Dei, objecti infiniti, erit infinita, cum infinitas cognitiones abstractivas creatorum objectorum habeat, sibi in perfectione inferiores;

**V.** *Ostenditur, argumenta calculatoria esse maxime fallacia.* Ad hujus solutionem argumenti, quod identidem recurrit, & in variis materiis negotium facessere solet, notandum, argumenta calculatoria esse maxime fallacia: licet enim in quibusdam teneant, præsertim in quantitate & numero; quantitas namque sicut per unum palmum sibi additum, determinatum accipit augmentum in longitudine, ita per infinitos palmos additos reddetur in longitudine infinita; cum enim per nullas quascunque partes finitas exæquari possit, aut exhaustiri, augmentum hoc mathematicum, quodque per partes hoc modo æquales crescit, necessariò est infinita: bene namque valet, uniusquisque palmus determinatum addit augmentum, ergo infiniti palmi augmentum facient infinitum. Idem est in numero, in acervo lapidum ex: gratiâ: sicut enim ex uno lapide ad-

dito, cumulus augetur ut unum; ita ex infinitis congestis, augmentum redditur infinitum: rectè enim, ut supra dixi, sequitur, ab uno lapide accipit augmentum determinatum, ergo ab infinitis crescit numerus in infinitum: nec enim in alio concipi potest hoc genus infinitatis.

Secus se res habet in quantitate, non molis sed virtutis, essentia, inquam, cujus perfectio non conflatur ex partibus, sed est metaphysicè indivisibilis. Hæc ergo, licet infinita alia in perfectione superet, non tamen est infinita, sed superioris & perfectioris speciei. Sic homo non est perfectionis infinitæ, quamvis infinitas species tum rerum inanimatarum, tum animatarum, cum quadam etiam subordinatione, ita scilicet ut gradatim crescat earum perfectio, sibi habeat inferiores; nec enim eas in se continet, ut quantitas continet palmos illos infinitos, sed est unum quiddam, superioris ordinis respectu specierum omnium inferiorum, quæ, licet extensivè hominem superent, intensivè tamen, ob nobilita scilicet quædam prædicata in homine contenta, ab eo superantur. Alioqui, si augmentum præcisè ab infinitis ductum valeat, sequeretur, infinita etiam individua vilissimæ alicujus speciei, superare unum aliquod individuum speciei nobilissimæ, infinitas scilicet ranas aut muscas esse meliores, seu perfectiores homine, aut Angelo.

**VI.** *Alia est infinitas essentia, cu indivisibilis, alia quantitativa, & divisibilis.* Res hæc, exemplo, quo ad ostendendum quàm fallacia sint hujusmodi argumenta calculatoria, in Philosophiâ usus sum, reddetur clarior. Eadem enim argumentandi ratione probaretur, Materiam primam nostram, quæ tamen censetur res valde imperfecta, habere perfectionem infinitam. Sic itaque pari formâ deduco argumentum. Materia prima, unius tantum formæ receptiva (qualem multi autumant de factò esse cœlestem) nostrâ, ut omnes fatentur, longè foret imperfectior, aliquam tamen haberet perfectionem. Materia ergo quæ duas solummodò formas recipere posset, haberet perfectionem aliquantò majorem: quæ tres, adhuc majorem; & sic deinceps: Ergo materia, quæ infinitarum formarum successivè est susceptiva, qualis est nostrâ, quæ per varias transmutationes plures & plures sine fine suscipere formas potest, erit perfectionis, simpliciter infinitæ. Idem est de peccato aliquo mortali, quod in malitia superat infinita venialia, & tamen secundum communiorum multò Theologorum sententiam, non est malitiæ simpliciter infinitæ, sed ad summum altioris cujusdam ordinis, ut ostendam in materia de peccatis.

**VII.** *Argumentorum calculatoriarum infinitas declarat exphlo Philosophico.* Sicut ergo in his dici solet, perfectionem majorem infinitis, non esse semper infinitam, sed sufficere quòd habeat prædicatum aliquod diversæ rationis, & speciei, quodque rem illam in altiore quodam gradu respectu aliorum constituat: Idem dici potest de visione. Verum est quidem, quoad aliquos effectus æquivalere infinitis aliis rebus, ut materia nostrâ infinitis illis materiis in susceptione formarum æquipollet. Sicut etiam potentia visiva, quæ plures & plures in infinitum colores videre posset, qualis videtur esse nostrâ, æquivaleret infinitis potentiis visivis, quarum singulæ unum tantum colorem, aut coloris genus posset percipere, non tamen esset infinita in essentiâ, cum varias habeat admixtas imperfectiones, & per virtutem producat simpliciter finitam.

**VIII.** *Perfectio major altis infinitis non est semper infinita.* Urgebis: quando objectum aliquod, etiam imperfectum, intuitivè cernitur, arenula ex: causâ, aut aquæ gutta, visio illa habet aliquam perfectionem, licet exiguam, juxta proportionem objecti;

**VI.** *Alia est infinitas essentia, cu indivisibilis, alia quantitativa, & divisibilis.*

**VII.** *Argumentorum calculatoriarum infinitas declarat exphlo Philosophico.*

**Exemplo Theologico idem ostenditur.**

**VIII.** *Perfectio major altis infinitis non est semper infinita.*

**IX.** *Urgetur altioris visio argumti calculatorii.*

objecti; Ergo visio quae tenderet in objectum duplo perfectius, erit similiter duplo perfectior, iuxta sui objecti proportionem; nulla enim est ratio cur secundum objectum non aequè exigat perfectionem sibi proportionatam in visione secundâ, ac primum exigit in primâ: & sic deinceps de tertîâ ac reliquis visionibus ad perfectiora & perfectiora objecta in infinitum terminatis; Ergo visio quae terminatur ad objectum simpliciter infinitum, nempe Deum, infinities superabit alias visiones; Ergo erit infinita. Idem est de numero objectorum; visio enim quae unum tantum objectum repraesentat, habet certam perfectionem; quae duo, duplo majorem, & sic deinceps: Ergo quae repraesentat infinita, habebit perfectionem infinitam.

*Idem est de numero objectorum.*

X. *Respondetur ad argumentum proximum propositum.*

Sed contra: nam, ut supra dixi, idem planè argumentum fit in cognitionibus abstractivis; quae enim objectum imperfectum repraesentat, habet certam perfectionem; ergo quae duplo perfectius objectivè repraesentat, erit duplo perfectior, & sic deinceps; ergo cognitio abstractivè repraesentans Deum, erit infinita. Respondetur itaque in nulla existit calculationibus secundam cognitionem sive intuitivam, sive abstractivam, esse duplo perfectiorem primâ formaliter, sed tantum virtualiter, quia nimirum per praedicatum heterogeneum à priore cognitione, objectum duplo perfectius repraesentat. Et idem est de eo quod in fine numeri praecedentis proponebatur: dico etenim cognitionem duo objecta repraesentantem, non esse formaliter duplo perfectiorem cognitione unum tantum repraesentante, sed solum virtualiter, seu aequivalenter. Unde & cognitio, quae infinita objecta numero distincta repraesentaret, non esset formaliter, sed solum aequivalenter, seu virtualiter quodammodo infinita, quòd scilicet per praedicatum heterogeneum perfectius tantum praestaret, quantum infinitae cognitiones, quarum singulae unum solummodo objectum repraesentarent: quod solum est esse infinitum secundum quid, non simpliciter. Idem suo modo est de cognitione repraesentante objectum infinitum.

*Duplex perfectio, formalis, & virtualis.*

XI. *Proportio arithmetica, & geometrica.*

Hoc reipsa existimo esse, quod in communi solutione dici solet de proportione arithmetica & geometrica; nempe, non ut aequali semper gradu creseat cognitio cum objecto, sed quòd cognitio objecti perfectionis sit per se loquendo perfectior cognitione objecti minus perfecti, & cognitio objecti perfectissimi, ceteris paribus, sit perfectissima. Hinc autem solum sequitur, visionem beatam esse perfectiorem visionibus aliorum objectorum, non verò esse infinitam, non magis quam homo est infinitus qui superat infinita bruta.

SECTIO TERTIA.

Aliae nonnullae difficultates contra visionem claram Dei.

I. *Obij: Virtus productiva infiniti est infinita, Ergo & virtus infiniti cognoscitiva.*

OBJICIES quartò: ex alio capite sequi visionem Dei esse infinitam: productio enim infiniti est infinita, Ergo & illius cognitio: sed visio haec est cognitio objecti infiniti, Ergo erit infinita. Contra: ergo, ut supra dixi, etiam cognitio abstractiva Dei erit infinita. Universim ergo loquendo, negatur consequentia: si enim Deus crearet infinitum ignem, aut solem, posset ille infinitum extensivè colorem, hic lucem in se producere, & tamen cognitio illius caloris aut lucis,

esset actionibus eorum productivis, quamvis infinitis, multò perfectior, utpote actio vitalis, spiritualis, & intellectualis, alia verò materialis & mortua.

Dices cum P. Arriaga hic, sect. 4. num. 22. si daretur substantia aliqua spiritualis, quae tantum haberet virtutem alterius sibi similis productivam, & alia, quae tantum posset substantiam spiritualement sibi similem cognoscere; prima quae haberet vim illam productivam, esset hac secundâ perfectior: Ergo idem est in virtute productivâ, & cognoscitivâ infiniti.

II. *Comparatur substantia solum productiva cum solum cognoscitiva.*

Respondetur, vel sermonem esse de virtute in actu primo, vel in actu secundo, seu de actione substantiae illius productivae. Si de hac secundâ sit sermo, dici fortasse posset, actionem materiae spiritualis ex gratiâ, productivam, cum sit creatio, esse perfectiorem cognitione ejusdem materiae. Quamvis neque hoc sit necessarium, cum enim actio creativa hic supponatur naturaliter communicari creaturae, non esset tanta perfectionis, nec est cur praferatur cognitioni illi quae est actio vitalis & intellectio. Idem existimo de virtute in actu primo, seu substantiâ creatâ, materiae illius merè productivâ; cum enim foret res mortua, mihi videtur multò imperfectior futura substantiâ spirituali vivente, quae posset illam cognoscere, quamvis non posset producere.

III. *Virtus cognoscitiva est per se loquendo perfectior productiva.*

Objicies quintò: Inter objectum & potentiam reperiri debet proportio: at inter intellectum creatum, & Deum, non reperitur proportio, Finitum enim ad infinitum, ut dici solet, nulla est proportio: ergo nequit creatus intellectus elevari ad Deum clarè videndum. Sed contra, ergo Deus ne quidem abstractivè ab intellectu creato cognosci poterit, cum sit infinitus. Cum itaque non obstante infinitate, cognosci possit abstractivè, poterit etiam intuitivè; utrobique enim est idem indivisibile objectum, idque infinitum, & sola diversitas est ex parte modi cognoscendi.

IV. *Qua proportio reperiri debeat inter objectum & potentiam.*

Objicies sextò: nulla potentia elevari potest ad tendendum extra suum objectum; hac enim de causâ nequit oculus elevari ad videndum sonum, vel auditus ad videndum colorem, odorem &c. sed Deus est extra objectum intellectus humani, aut Angelici, ergo. Dices, esse quidem extra objectum naturale, non tamen extra objectum supernaturalae. Contra, idem ergo dici poterit de oculo respectu soni, auditu respectu coloris, &c. esse scilicet sonum extra objectum naturale oculi, non supernaturale, & sic de ceteris: cum tamen omnes dicant, ideo non posse oculum nec supernaturaliter tendere in sonum, aut auditum in colorem, quia sunt extra objecta eorum naturalia. Si ergo Deus sit extra objectum naturale intellectus creati, non magis in eum tendere poterit, quam oculus in sonum.

V. *Obij: nulla potentia superari potest extra objectum suum ad quantum.*

*Cur oculus tendere nequeat in sonum, nec auditum in colorem.*

Respondetur itaque negando subsumptum: Deum scilicet esse extra objectum naturale intellectus creati, cum circa eum abstractivè tam homines quam Angeli versari possint, nihilque per visionem intuitivam cognoscitur à Beatis in Deo, quod abstractivè à viatoribus percipi aliquo modo nequeat, si iis proponatur, totaque diversitas, ut n. 4. dixi, est ex parte modi cognoscendi. In quo est aperta differentia inter oculum respectu soni, & intellectum respectu Dei: oculus enim nullum omnino actum elicere naturaliter potest circa sonum; unde conficitur, cum esse planè extra objectum oculi. Idem est de colore respectu auditus, & similibus.

VI. *Deus non est extra objectum naturale intellectus creati.*

Utrum

VII. Nil refert, possit in intellectu, qui, si, si, am divinitus, abstractivè dicitur cognoscere Deum possit, non intuitivè.

Ut autem dari queat intellectus aliquis, qui, esto abstractivè cognoscere possit Deum, per divinam potentiam elevari nequeat ad eum clarè videndum: sicut è contrario, sensus qui intuitivè percipiunt sua objecta, nullo modo, ne quidem divinitus, ea percipere possunt abstractivè: quem intellectum dari posse contendit P. Arriaga hic d. 4. sect. 5. num. 26. nostrà in presenti nil refert, qui hic aliud non intendimus, quàm offendere, intellectum nostrum, ex eo quòd intuitivè videre possit Deum, non ferri extra objectum suum naturale, eum illum naturaliter cognoscit abstractivè. Quòd si intellectus ille cognoscens Deum abstractivè, ad intuitivam illius visionem, vel divinitus assurgere nequeat, id peculiari illius potentie limitationi tribuendum: nullum certè habemus fundamentum asserendi, intellectum nostrum esse huiusmodi.

ne ens, non tamen inde sequitur, posse eum singula entia pari perfectione cognoscere, alioqui, & posset ea omnia, etiam Deum, comprehendere; quòd dici nullo modo potest. Sicut ergo ex eo quòd objecta alia cognoscere queat comprehensivè, non sequitur posse cognoscere comprehensivè Deum, ita nec sequitur, posse eum clarè videre, ex eo quòd alia intuitivè valeat conspiciere: ad supremi namque huius objecti, quòdque alia omnia, etiam simul sumpta, infinite excedit, cognitionem intuitivam, cum tam alta sit, eget intellectus elevatione, & principis omnem naturæ vim excedentibus, quæ proinde, supernaturalia cum sint, solo naturæ lumine innotescere nequeunt. Evidens ergo esse non potest, eiusdem naturæ lumine huiusmodi elevationem esse possibilem; sed ad summum ex hac ratione conficitur, nobilem quandam Dei cognitionem, multoque eâ, quàm hic habemus, perfectiorem, posse creato intellectui à Deo concedi, non tamen intuitivam, ob rationes jam allatas.

Quibus principis eget intellectus ad claram Dei visionem.

SECTIO QUARTA.

Positne ratione naturali demonstrari visionem Dei esse possibilem.

I. Prima sententia affirmat hoc posse demonstrari.

PRIMA sententia est affirmativa: ita Scotus in 4. d. 49. q. 8. quem hac in parte discipuli sequuntur. Quam etiam sententiam ex nostris amplectitur Valquez, Arrubal, & alii.

II. Prima ratio ex perfectione visionis intuitiva.

Prima ratio, qua ad hoc probandum utitur Scotus, est: nam visio intuitiva, inquit, est perfectio potentie cognoscitivæ: cum ergo hoc in potentia cognoscitiva inferiori, nempe sensu, reperitur respectu sui objecti; à fortiori id reperiri debet in intellectu respectu sui: cum itaque Deus sit præcipuum eius objectum, debet circa illum posse versari intuitivè.

III. Inefficacia huius rationis variè ostenditur.

Sed contra primum: non enim omnis perfectio qua convenit inferiori, convenit semper superiori: claritas enim est perfectio cognitionis, hæc verò scientiæ naturali convenit, non fidei, quæ scientiæ naturali est multo præstantior. Contra secundò: ergo intellectus, etiam naturaliter, debet posse videre Deum, cum sensus objecta sua intuitivè percipiant naturaliter. Dico itaque, ad perfectionem intellectus supra sensum, sufficere quòd varia objecta objectis sensuum longè præstantiora clarè videre possit, animas scilicet & Angelos, quamvis ad eminentissimum hoc objectum, nempe Deum, per claram visionem assurgere nequiret.

IV. Secunda ratio ex ordine transcendentali, est etiam inefficax.

Secunda ratio, quæ ad hoc probandum afferri solet, est: Homo & Angelus dicunt ordinem transcendentali ad claram Dei visionem, qui ordo est ab eorum entitate indistinctus; ergo qui hominem aut Angelum intuitivè, aut saltem comprehensivè videret, (Angelus autem superior inferiorem, & hominem comprehendit) inde sciret visionem Dei esse possibilem. Admissio antecedente, negatur consequentia; ex vi enim comprehensionis naturalis (quæ sola Angelo debetur) non percipiuntur termini supernaturalis, alioqui & unio Hypostatica cognosci naturaliter posset, cum non minus ad hanc, quàm ad visionem Dei anima & Angelus relationem dicant transcendentali.

V. Tertia ratio, quòd intellectus creatus pro objecto habeat omnem ens, non convincit.

Tertia ratio: Intellectus noster intra objecti sui latitudinem complectitur omne ens, ergo & Deum, qui est ens omnium perfectissimum, & Ens Entium; ergo sicut Angelus & anima separata intuitivè objecta alia videre possunt, ita & videre poterunt Deum. Sed contra: quantumvis enim intellectus creatus intra cognitionis suæ spheram habeat om-

Dices: Oculus aliquis corporeus, qui ob debilitatem vacillat ad lumen & aspectum solis, nec nisi mediante aquâ aut speculo, sicque reflexè, ac veluti abstractivè eum videre potest; si tamen confortetur aliunde, & roboretur, poterit homo solem firmiter, & fixis oculis intueri; ergo idem est de intellectu respectu æterni solis, essentia, inquam, divina, ad cuius intuitum licet per se, utpote infirmus & imperfectus, assurgere nequeat, aliunde tamen roborari ita, & firmari potest, ut eum clarè cernat, idque lumine naturæ innotescit. Respondetur tamen, latam esse disparitatem: lumen enim solis, eiusdem rationis est cum lumine in speculo, vel aquâ recepto: at verò entia creata, ex quibus abstractivè cognoscimus Deum, infinites inferiora & imperfectiora sunt Ente increato; ergo à cognitione Dei per creaturas arguere non possumus naturaliter ad claram eiusdem visionem, utpote quæ supernaturalis est, nec nisi lumine fidei in eius devenire cognitionem possumus.

VI. Dices: oculus corporeus potest intuitivè videre solè, ergo intellectus Deum.

Dices secundò cum eodem Scoto: intellectus non quietatur nisi in pulcherrimo suo objecto, perfectissimo modo cognito; cum enim objecta cætera intuitivè se videre animadvertat, ad intuitivam etiam summi huius objecti cognitionem aspirat, nec nisi eâ obtentâ conquiscescit. Sed contra: ad hoc ut intellectus in Dei cognitione naturaliter conquiscescat, non est opus cognitionem omnium perfectissimam circa illum acquirat, alioquin, ut supra dixi, habere deberet comprehensivam, sicut habet aliarum rerum: sufficit ergo ad quietem intellectus, nobilis aliqua Dei cognitio, ut mox amplius declarabitur.

VII. Dices secundò: intellectus, nisi in perfectissimo suo objecto, cognito, non conquiscescit.

Quarta, & præcipua ratio deducitur ex appetitu quem omnes à naturâ insitum habent, videndi Deum: hinc ergo rectè inferitur, visionem hanc esse possibilem; alioqui desiderium naturæ erit inane. Hinc S. Augustinus lib. 4. contra Julianum, cap. 3. Neque, inquit, omnes homines naturali instinctu immortales & beati esse vellemus, nisi esse possimus.

VIII. Sine omnibus instinctibus à naturâ appetitum videndi Deum.

Nec satisfacit quòd respondet P. Arriaga hic, d. 4. sect. 1. cum aliis quibusdam; nullum scilicet deduci argumentum ad probandam visionis possibilitatem, ex eo quòd eam multi apprehendant, & appetant, cum & in rem falsam multi per intellectum ferantur, & per voluntatem, in impossibile. Hoc, inquam, non satisfacit: quamvis namque ex falsâ persuasionem (voluntas siquidem in res fertur non ut in se sunt, sed ut apprehenduntur) possint interdum

IX. Instinctus & appetitus naturæ non tendit ad impossibile.

R. P. Compromi Theol. Scholast. Tom. I.



Deus & natura nihil faciunt frustra.

interdum nonnulli appetere aliquid impossibile; ex instinctu tamen naturæ, homines passim non feruntur in id, quod obtineri non potest; natura enim non fallit, & ut dici solet, Deus & natura nihil faciunt frustra. Quare si appetitus visionis claræ Dei omnibus passim sit à naturâ insitus, non videtur negari posse, illius possibilitatem hinc optime inferri.

X. Ex falsâ persuasione multi inter duntis errorem inducuntur.

Non etiam obstat, quod ibidem objicit P. Arriaga, plurimos Jovi numen inesse existimasse, cumque pro Deo coluisse: hoc enim, non ex instinctu naturæ, sed ex falsâ quorundam persuasione provenit; Poëta siquidem nonnulli (quorum primus, vel ex primis, fuisse fertur Homerus, hoc nomine *Eaber deorum* appellatus, ut in Prometheus Christiano ostendi Disp. undecimâ, cap. 1. n. 2.) sceleratis quibusdam hominibus prodigioso perniciosoque figmento divinos honores decreverunt, mortaliumque animos hæc errore imbuerunt, qui proinde, non instinctu naturæ, sed malis artibus, & artificioso hominum commento, Jovi, reliquæque farragini, deorum nomen ac numen adscripserunt.

XI. Hæc ratio, ducta ab appetitu omnibus insisto, non caret difficultate.

Quamvis itaque rationem hanc ductam ab appetitu perfecte cognoscendi Deum, seu causam primam (quam à viris doctissimis, ipsoque adeò Doctore Angelico ad hoc ipsum usurpari video hic q. 12. a. 1. corpore) censam esse probabilissimam, & si detur hujusmodi appetitus à naturâ insitus ad clarè videndum Deum, certam: quia tamen non constat insitum esse à natura hominibus hujusmodi appetitum clarè videndi Deum, hæc ratio non convincit. Quod verò nullus talis sit appetitus, magno mihi est indicio, quod inter doctissimos olim Philosophos, antiquitatis lumina, & quibus prima cura fuit hominis felicitatem inquirere, ne unus quidem ex 288. diversis hæc de re sententiis, & sententiis, quas ex Varrone refert S. Augustinus lib. 19. de Civit. Dei cap. 2. eam in clarâ Dei visione sitam esse affirmaverit, sed ad summum in sublimi aliqua Dei cognitione & contemplatione eximiarum tantum Numinis perfectionum.

XII. Quo pacto homines appetant naturaliter possessionem summæ boni.

Dices primò: homines naturali instinctu appetunt possessionem summæ boni; hæc autem in clarâ Dei visione consistit; ergo hanc appetunt, Resp. appetere quidem naturaliter homines summæ boni possessionem, sed pro modulo & captu suo, suavem scilicet Dei contemplationem & amorem, ex quibus coram mentes summâ jucunditate, ac deliciis maximis perfundantur, usque perpetuò permansuris, atque ut reddantur de tali statu securi. Per hoc existimo, hominum circa beatitudinem appetitui satisfactû iri: nec enim visionis claræ Dei, citra revelationem iis unquam in mentem veniret, ut exemplo Philosophorum, qui ad beatitudinem indagandam summo studio ferebantur, proximè vidimus.

XIII. Ex appetitu necessario quoad specificationem, non inferitur visionis beatitudinis possibilitas.

Dices secundò cum P. Vasquez 1. 2. d. 22. c. 5. visionem claram esse objectum necessitans quoad specificationem, quam scilicet averfari nullus potest; hinc ergo rectè inferitur illius possibilitas. Sed contrà: eodem enim modo contra Vasquez inferri posset, unionem Hypostaticam naturaliter cognosci posse, cum eam nullus averfari possit. Dico itaque ex hæc necessitate quoad specificationem, non inferri objecti cuiusquam possibilitatem: si enim quis beatitudinem in Dei comprehensione sitam esse apprehenderet, ut apprehendebant Anomæi, non posset eam averfari; inde nihilominus perperam quis inferret, Dei comprehensionem esse creato intellectui possibilem. Addo, visionem cla-

ram Dei, prout recipi est, nemini in mentem naturaliter venire posse, cum sit supernaturalis, sed visionem appetunt vel naturæ viribus, vel oculis corporeis obtinendam; quarum utraque est impossibile.

Tandem nonnulli, ut advertit P. Arriaga citatus, ita mundi hujus oblectamenti & vanis voluptatibus capiuntur, ut si his perpetuò frui possent, de clarâ Dei visione parum essent solliciti. Quamvis ergo beatitudinem in genere averfari fortassis nemo queat, hæc tamen in particulari non ita necessitat, quin eam homines possint refugere, eique aliquid aliud præferre.

XIV. Quidam visionem beatitudinis averfantur.

SECTIO QUINTA.

Vtrum Deus videri possit oculis corporeis.

ETHNICI Deum oculis corporeis cerni posse communiter asserbant, utpote quem corporeum esse asserbant, sicque intra organi corporei spheram statuebant. Nec multum ab hoc errore abfuerunt heretici Anthropomorphitæ, qui Deum humanis membris fingeant, ut supra vidimus, d. 5. sect. 3. num. 2. unde nil mirum, si eum oculis corporeis cerni posse assererent.

I. Ethnicorum & Anthropomorphitarum error.

Sed his relictis, quæstio, quam in præfenti disputamus, est, Utrum Deus, cum sit spiritus purissimus, in cælo à Beatis post assumpta denuo corpora, oculis, non mentis tantum, sed etiam corporis, cerni possit.

II. Status quæstionis.

Qua in re, communis & certa est Theologorum sententia, non posse. Ita S. Thomas hic, q. 12. a. 3. & in 4. d. 49. q. 2. a. 2. quem Theologi omnes sequuntur, remque hanc ita indubitatum esse pronunciant, ut Suarez hic lib. 2. de Attributis, cap. 6. eam fidei proximam, Vasquez d. 40. cap. 2. oppositum, manifestum errorem, alii saltem temerarium esse asserunt.

III. Deus oculo corporeo videri nullo pacto potest.

Hanc conclusionem tradunt Patres, qui, quam intellectui tribuunt, oculo corporeo negant potentiam videndi Deum. Imò S. Augustinus Ep. 6. ad Italicam, hoc ipsum expressis verbis tradit, ubi loquens de lumine, quod Deus est, Hoc autem, inquit, oculo videre corporis neque nunc potest, neque tunc poterit. Idem clarè docet S. Ambrosius Ser. 8. in Psalm. 118. dicens hoc esse impossibile.

IV. Hæc est sententia eorum doctorum sententia.

Verum est quidem, S. Augustinum lib. 22. de Civit. c. 29. in illud propendere, ut Beati post assumpta corpora Deum oculis corporeis videant: quem nihilominus S. Thomas hic, q. 12. a. 3. ad 2. non asserendo, sed inquirendo, loqui affirmat: vel quod oculis corporeis singularem quandam lucem, peculiari modo Dei indicem visuri sint; quæ, quia singulariter Deum refert, quisquis eam videt, videre dicitur Deum: sicut qui vestem videt, dicitur videre hominem; & qui motus vitales, vitam, seu animam.

V. Explicatio loci cuiusdam S. Augustini.

Ratione idem ostenditur deductâ ex S. Augustino Epistolâ citatâ; si enim cerni possit Deus oculo corporeo, ergo & aliis etiam sensibus percipi, auditu scilicet, gustu, olfactu, & tactu, quæ tamen per se maximè sunt absconsa, & Dei excellentiâ penitus indigna: sequela patet; siquidem si oculus noster elevari possit ad videndum spiritum, & aliud præter colorem & lucem materialem, nulla planè est ratio, cur alii etiam sensus ad idem præstandum elevari nequeant; eo enim modo, quo lucem

VI. Ab inconvenienti ostenditur, oculum corporeum non posse videre Deum.

lucem oculo perceptibilem in se continere dicitur Deus, odorem etiam, dulcedinem, & omnium sensuum objecta continet, nempe eminenter: sic de se dicit Deus Moysi, *Ostendam omne bonum tibi*. Unde sicut vocatur lux, ita vocatur *omne bonum*; unde, ad eum percipiendum, non minus elevari poterunt alii sensus, quam oculus, si semel ad aliud præter lucem & colorem percipiendum elevetur. Ad summum ergo elevari poterit oculus corporeus ad lucem & colorem materialem supernaturalem (quales nonnulli in gloriosis Beatorum corporibus collocant) videndum: ut enim color naturalis visioni naturali, ita supernaturalis supernaturali est proportionatus.

Ad quid elevari possit oculus corporeus?

SECTIO SEXTA.

Argumenta contententia, oculo corporeo posse videri Deum.

**I.** *Quo pacto loca quædam Job sunt intelligenda.*  
**O**BJICIES primò illud Job. 19. v. 26. *In carne meâ videbo Deum meum*, &c. Sed ad hoc optimè respondet S. Thomas hic, q. 12. a. 3. ad 1. non esse sensum, quòd oculo carnis sit Deum visurus, sed quòd in carne existens post resurrectionem visurus sit Deum. Quo etiam modo hoc ipsum Jobi dictum exponit S. Augustinus de Civit. lib. 22. c. 19. post medium: *Potest, inquit, & sic accipi: in carne meâ videbo Deum, ac si dixisset, in carne meâ ero, cum videbo Deum*. Unde, inquit idem S. Augustinus, non dixit, *Per carnem meam, sed in carne meâ*.

**II.** *Oculi cordis & corporis.*  
 Illud verò Job. 42. v. 5. *Auditu auris audivi te, nunc autem oculus meus videt te*, tam S. Thomas, quam S. Augustinus interpretatur de oculo cordis, seu intellectu: quo etiam modo loquitur Apostolus ad Ephel. 1. v. 18. *Deus det vobis illuminatos oculos cordis vestri, ut sciatis, quæ sit spes vocatiõis ejus*, &c. Quamvis hic Jobi locus non incitè de oculo corporeo intelligi possit, Deum, non in se, sed in specie aliqua, seu figurâ externâ apparentem cernente, quam tunc speciem oculis corporeis intuebatur, cum antea nihil adhuc videns, Dei in illâ loquentis vocem solummodò audivisset.

**III.** *Obsecundo: Oculum corporeum potest efficere receptare visionem Dei, Ergo & Deum videre.*  
 Secunda objectio, quæ pro oculi corporei elevatione ad videndum Deum fieri solet, desumitur ex opinione, quam disp. 27. Phys. secutus sum, de potentia obedientiali latâ. Sic ergo argumentantur nonnulli. Potest oculus corporeus elevari ad eliciendam & recipiendam visionem claram Dei, ergo & ad videndum Deum; quid etenim aliud est Deum videre; ideo nanque anima & Angeli Deum vident, quia illius visionem efficiunt, & à se effectam in seipsis etiam recipiunt.

**IV.** *Inefficax quorundam argumenti hujus solutio.*  
 Nec dicas cum P. Suarez hic, sect. 2. c. 6. n. 5. & aliis, ideo non posse videri Deum oculo corporeo, quia oculus ferri nequit extra objectum suum adæquatum; Deus autem intra oculi corporei objectum adæquatum non continetur: hoc, inquam, non sufficit; argumentum quippe contendit, aliud esse objectum adæquatum naturale, aliud supernaturale. Deinde, illud omne est intra objectum adæquatum alicujus potentie, circa quod potest elicere actum; cum itaque oculus corporeus juxta nos clicere actum possit circa Deum, clarum scilicet illius visionem obedientialiter efficere, Deus intra objectum illius adæquatum continebitur.

**V.** *Alloquitur responsio, oculum corporeum non*  
 Nec magis efficax est aliorum responsio, qui oculum corporeum, quantumvis Dei visionem efficiat & recipiat, dicunt nihilominus non hoc præstare vitaliter. Contrâ enim est: quæro namque

R. P. Comptoni theol. Scholast. Tom. I.

quid sit clicere visionem Dei vitaliter? movet si quidem se per illam ab intrinseco, & est potentia vitalis, quidni ergo moveat se vitaliter? Dices, nullum dicit ordinem intrinsecum ad visionem illam, ita ut petat eam producere. Contrâ: vel est sermo de oculo secundum se sumpto, vel de eo ut per concursum Dei supernaturalem elevato: si primum, nec intellectus ordinem dicit ad visionem illam, ita ut per se eam petat producere: si secundum, sicut intellectus elevatus petit visionem illam producere, quidni idem petat oculus; sicut enim ibi principium visionis non est solus intellectus, ita neque hic solus oculus, sed Deus etiam, ut causa particularis concurrens, & cum elevans.

elicitur visio nem Dei vitaliter.

**VI.** *Causa partialis extrinseca producere potest alium vitalium.*  
 Dices: Deus est causa adæquatè extrinseca, sicque juvare nequit oculum ut sit causa vitalis visionis, cum causa vitalis esse debeat intrinseca. Contrâ primò: ergo nec juvare potest intellectum, ut sit causa vitalis, seu intrinseca respectu visionis. Contrâ secundò: sequeretur, nullam omnino potentiam naturalem operari vitaliter, cum partialiter constituatur potens respectu suorum actuum per concursum universalem Dei, & interdum per objectum ipsum extrinsecum, ut de tactu, olfactu, & gustu philosophantur multi, qui negant hæc objecta operari per species: & communis Theologorum sententia id affirmat de visione beatificâ, ad quam Deum ipsum per modum objecti concurrere docent extrinsecè & immediatè.

**VII.** *Solutio objectionis præcipuæ.*  
 Ad objectionem itaque numero tertio propositam Respondetur juxta dicta disp. illa 27. Phys. sect. 6. non quicquid est capax alicujus formæ, esse capax omnis illius effectus formalis; unio siquidem hypostatica unita bruto, non illud denominaret personam, filium, & amicum Dei &c. gratia habitualis non denominat Christum filium adoptivum: species visibiles in aère receptæ, non denominant aërem visivum, & sic de aliis, quæ latius profectus sum in Physicis, loco proxime citato. Nulla ergo est hæc consequentia, oculus corporeus habere in se potest visionem Dei, ergo & videre poterit Deum.

**VIII.** *Occasione ejusdem replicæ, declaratur ulterius proxime data solutio.*  
 Urgebis: oculus corporeus elevari secundum nos potest, non ad recipiendum tantum, sed etiam ad efficiendum visionem Dei; nullum autem habemus exemplum ubi subjectum aliquod & efficit, & recipit formam, quin recipiat omnem illius effectum formalem. Sed hoc mihi nullius videtur momenti; in eo enim sita est disparitas data, quòd sicut, ubi sola receptio requiritur ad denominationem aliquam dandam, non tamen datur, merè defectu proportionis subjecti; ita ubi requiritur effectio & receptio, potest similiter non dari denominatio merè defectu proportionis subjecti.

**IX.** *Sola improprio subjecti impeditur effectus formalis.*  
 Paritas ergo in hoc consistit, quòd quemadmodum ibi, positis omnibus requisitis, mera incapacitas subjecti impedit denominationem aliquam & effectum formalem, ita subjecti incapacitas idem hic præstabit. Quòd verò plura hic ponantur quàm ibi, parum refert; quantumcumque enim ponantur plura, ponuntur solum omnia requisita, hæc autem etiam ibi ponuntur, quòd sufficit; nec enim exempla esse debent mathematicè similia, sed philosophicè. Sicut ex eo quòd accidentia quædam in Eucharistia conserventur sine subjecto, idem inferunt communiter omnes de aliis accidentibus, etiam spiritualibus, ut de habitibus, de intellectu & voluntate &c. imò idem etiam affirmant de formis substantialibus materialibus: & si quis peteret exemplum, ubi forma aliqua substantialis conservetur sine subjecto, ut hoc de aliis affirmetur, dicent

F 2 dicent

Omnimoda paritas in exemplis non querenda.

X. Quae proportio requiratur ad dandam de denominationem.

dicerent sufficere posse hoc modo conservari accidentia, nec omnimodam in exemplis paritatem esse querendam. Cum ergo visio beatifica sit intellectio, oculus autem corporeus non sit capax denominationis intelligentis, cum nec sit, nec esse possit intellectus, elevari nequit ad videndum seu intelligendum Deum.

Queres, quae sit haec proportio ad effectum formalem, seu denominationem tribuendam requisita. Resp. universalem aliquam hac in parte regulam esse assignatu difficilem; dici tamen probabiliter potest; in hoc consistere, quod licet subjectum non petat formam, forma tamen petit subjectum, tanquam sibi conaturalis: unde visio Dei dat denominationem videntis Deum animae & Angelo, non tamen lapidi, aut bruto, vel oculo corporeo, haec enim dici nequeunt per visionem beatam vivere, cum visio non petat ab illis oriri ab intrinseco, qui est conceptus vitae, ut ostendi Disp. 6. de anima sect. 4. Ab anima tamen & Angelo, utpote intellectualibus, visio beatifica oriri petit ab intrinseco. Et si hoc intelligant Auditores numero quinto relati per non procedere modo vitali, recte dicunt: Deinde, intellectus, actus aliquos circa Deum elicere naturaliter potest, oculus corporeus nullos.

SECTIO SEPTIMA.

Sitne possibilis creatura materialis, quae per elevationem Deum videat.

I. Obi. dari posse visionem Dei corpoream.

OBJICIES tertio: probare haec quidem, non posse oculum corporeum per intellectionem videre, seu intelligere Deum; quidni tamen dari possit visio aliqua corporea supernaturalis, per quam Deus representetur: quod si haec queat dari, cessat solutio haecenus data. Hujusmodi autem corpoream visionem esse possibilem, quaeque a creatura & potentia materiali petat procedere, acriter contendit P. Arriaga disp. 5. de Anima, sect. 2. & hic, d. 6. sect. 1. & P. Valentia l. p. q. 12. pu. 8. ait non satis constare dari non posse potentiam aliquam sensitivam, quae objectum spirituale, ipsumque adeo Deum percipiat.

II. Implicat materialis Dei visio.

Longe tamen probabilis est, implicare hujusmodi creaturam materialem, & visionem corpoream quae Deum representet. Primo, quia perfectio Dei non minus postulare videtur, ut visio ipsum representans sit spiritualis, quam ut sit supernaturalis. Deinde, sicut Deus est Ens, & objectum omnium perfectissimum, ita visio quae circa ipsum versatur, esse debet in perfectissimo genere cognitionis. Tertio, quia, ut supra dixi, sequeretur posse etiam Deum aliis sensibus, gustu scilicet, auditu, olfactu, & tactu percipi; quod sane absolum omnino videtur, Deumque ad hujusmodi brutas operationes abjicere, & earum objectum constituere, est res plane indignissima. Quarto: si enim hanc perfectionem tribuat quis rei materiali, ut possit clare videre Deum, ergo & possibilis erit creatura corporea, quae perfecte utatur discursu, operetur libere, & id genus alia, quae nullo modo sunt admittenda.

III. Nullus sensus materialis percipere potest spirituum.

At verò, inquis, da mihi duo contradictoria in eo quod res quaequam materialis & corporea, Angelum, aut rem aliquam spirituales oculo corporeo intueatur. Contra: da mihi etiam duo con-

tradictoria in eo, quod Angelum gustet aut olfaciat; quae tamen non existimo à quocum concessum iri, sed ab omnibus maxime censentur absona, ipsaque eorum absurditas est virtualiter duo contradictoria. Contra secundò: da mihi etiam duo contradictoria in eo, quod res aliqua materialis auditu percipiat albedinem. Quod si dicas, id propterea fieri non posse, quia albedo in se non continet sonum, qui est objectum adaequatum auditu; tantundem dic de Angelo, in se scilicet non continere colorem, nec lucem, quae sunt objectum adaequatum oculi corporei, & visionis materialis; de hac namque in praesenti est sermo, de incapacitate enim oculi corporei ad videndum per visionem spirituales, seu ad intelligendum, dictum est sect. precedente.

Alioqui auditus potest percipere albedinem.

Contra tertio: sicut enim argumentatur aliquis ostendi nequeunt duo contradictoria in eo quod detur res materialis, quae oculo corporeo supernaturaliter videat Deum; ita è contrario argumentari posset alius, ostendi nequeunt duo contradictoria in eo quod sit series quaedam operationum, & proprietatum, ita spectans ad substantias spirituales, ut communicari nequeat ulli rei materiali; quae, oro, in hoc implicantia? Sanè haec in re non existimo facile ostensum iri duo contradictoria. Jam verò si ultae sint hujusmodi operationes propriae substantiae spiritualis, haec maxime, quae dignitatem quandam & perfectionem pra se ferunt; nempe, uti discursu, operari libere, elevari ad videndum Deum, &c: haec enim nullum ordinem ad corpus dicunt, aut ad res materiales, ut recte ostendit Lessius de Immortalitate animae, numero quinto, septimo, & octavo, suntque ex modo procedendi perfectissimae.

IV. Non implicat series aliqua operationum propriae spirituum.

SECTIO OCTAVA.

An de facto detur clara Dei visio: & an in hac vita cuiquam fuerit communicata, aut communicari potuerit.

QUOAD primum: quamvis dubitarint aliquando nonnulli, etiam ex SS. Patribus, utrum ulli ante extremum iudicii diem essent Deum visuri, imò ob quaedam obscura Scripturae loca id omnino non futurum asseruerint: jam tamen fide certum est, & Ecclesiae calculo firmatum. Concilium quippe Florentinum in literis unionis inter Latinam & Graecam Ecclesiam, id expressè definit, ubi dicitur, animas eorum, qui in gratia decedunt, ubi purgata fuerint, in caelum mox recipi, & intueri clarè ipsum Deum Trinum & unum, sicut est. Quod idem declaravit Benedictus duodecimus, nec de eo amplius Orthodoxorum quisquam dubitat.

I. Certum est, multorum animas à corpore separatas, Deum videre.

Quoad secundum: utrum scilicet in hac vita quisquam Deum viderit, aut videre possit: de possibili non videtur dubium, cum Christi anima Deum in mortali corpore viderit, nec à primo ad ultimum vitae instans visionem illam unquam intermiserit. Quod autem anima illa verbo hypostatice fuerit unita, nil quoad praesens refert; nec enim unio hypostatica dat possibilitatem visionis in corpore mortali, sed facit ut visio Dei fuerit animae illi connaturaliter debita. Hinc ergo apertum redditur, visionem claram Dei stare divinitus posse cum mortalitate corporis, esto connaturaliter corpori unito

II. Potest quae in hac vita Deum videre.



unito animæ, claram Dei visionem habenti, immortalitas, & aliæ corporis gloriosi dotes debeantur.

III. Addo tamen, licet homini, etiam puro, in statu mortalitatis degenti communicari possit visio beatifica, de lege nihilominus ordinariâ hoc fieri nullatenus posse. Ratio est clara; visio enim Dei in Scripturâ semper appellatur *merces, corona, brauium*; unde in hoc agone & palæstra dari connaturaliter non potest, nec nisi peracto certamine, & laboribus finitis. Hinc Exodi 33. v. 20. dixit Deus Moysi: *non poteris videre faciem meam*, per quam beatitudo cælestis designatur, *non enim videbit me homo & vivet*. Item 2. ad Corinth. v. 6. ait Apostolus, *dum sumus in corpore, peregrinamur à domino: per fidem enim ambulamus, & non per speciem*. Primæ etiam ad Timoth. cap. 6. v. 16. de Deo dicitur, *quem nullus hominum vidit, sed nec videre potest*.

IV. An verò de facto, hoc à Deo cuiquam concessum fuerit, ut in hac vitâ clarè Deum viderit, major est inter auctores controversia, asserentibus quibusdam id Moysi contigisse, cui Num. 12. v. 8. dicit Deus se *os ad os loqui, etiamque non per enigmata & figuras Deum videre*. Et hæc videtur mens Sancti Thomæ, 1. p. q. 12. a. 11. ad 2. id ex Augustino affirmantis de Moyse Magistro Judæorum, & de S. Paulo Magistro Gentium. Ex recentioribus hanc sententiam tuetur Fasolus hic, q. 12. a. 11. dub. 3. & sexaginta auctores pro eâ citat.

V. Contraria tamen sententia communis fere hodie est inter recentiores, tum Theologos, tum divini verbi Interpretes: ita Salmeron, Molina, Vasquez, Becanus, Soarez hic, lib. 2. cap. 30. Toletus, Tannerus 1. p. d. 2. q. 6. dub. 1. n. 12. Maldonatus, Cornelius, Smisingus hic q. 9. n. 301. qui multos antiquorum pro eadem sententia adducit. Valentia verò hic d. 1. q. 12. p. 7. utramque opinionem defendit problematicè. Ex Patribus autem claram Dei visionem in hac vita nemini concessam esse docet imprimis Evaristus Pontifex, S. Dionysius, S. Irenæus, S. Greg. Nazianzenus, & alii, quos affert Vasq. d. 55. cap. 2. ubi rem hanc accuratè discutit.

VI. De mente S. Augustini dissident auctores; quibusdam enim locis ab adversariis adductis, ut Epistola 112. ambigüè loquitur, dicens, *Moysem forte dignum habitum, ut videret Deum sicuti est*. Aliis verò locis, ut Tract. 3. in Joannem, in verba illa, *Deum nemo vidit unquam*, & lib. 2. de Trin. c. 16. & 17. apertè docet, Moysen non vidisse nisi speciem corpoream. Pro contrariâ itaque sententiâ asseri nequit S. Augustinus, cum id constanter non asserat, sed nunc in unam, nunc aliam partem propendeat. Quare sanctorum Patrum numero, longè superior est sententia negans quenquam in hac vita Deum vidisse.

VII. Variis etiam Scripturæ locis idem ostenditur: atque ad illud probandum imprimis facit locus ille Exodi 33. v. 20. ubi dixit Deus Moysi, *Non videbit me homo, & vivet*. Deinde, Joan. 1. v. 18. habetur, *Deum nemo vidit unquam: unigenitus Filius, qui est in sinu Patris, ipse enarravit*. Joannis etiam sexto, v. 46. *Non quia Patrem vidit quisquam, nisi qui est à Deo, hic vidit Patrem*. Ubi peculiariter fit

comparatio inter Christum & Moysen, solique Christi animæ dicitur hoc privilegium concessum, ut Deum in hac vita videret. Per quæ etiam duò prostrata loca excluditur à visione Dei S. Paulus, cum, ut ex Chronologia constat, Joannis Evangelium post Pauli raptum fuisset exaratum. Quibus proinde consonat illud S. Pauli 1. ad Timoth. 6. v. 16. *quem nullus hominum vidit, sed nec videre potest*.

Ad illud ergo, quod num. 4. de Moyse attuli, Respondetur, vidisse eum tantum Deum vel Angelum in specie humanâ, & os ad os ei esse locutum, cunctaque quæ voluit, ab illo didicisse, non per anigmata & figuras quasdam ac similitudines, sicut res arcanas acceperunt alii Propheta.

Quod autem Exodi 33. dixit Deo Moyses, *Ostende mihi faciem tuam, Ostende mihi gloriam tuam, &c.* Quid illis faciem tantum illius Angeli in humanâ specie clarè videre voluit, amotâ scilicet nube, ut multi existimant: quod tamen non est ei concessum. Sin verò dicat quispiam, petisse ipsum claram Dei visionem, hæc ei negata est à Deo respondente, *Non poteris videre faciem meam: non enim videbit me homo, & vivet*. Unde dorsum tantummodo ei in figurâ illâ corporeâ ostendit: ideo autem noluit ut figuræ etiam illius corporeæ faciem videret, ut factò ostenderet quod docuerat verbis, nemini scilicet in hac vita concedi, ut essentiam & gloriam Dei, quæ peculiariter per faciem denotatur, conspiciat. Dorsum verò ei ostendit, id est, gloriam & splendorem inferioris rationis, in qua tamen ostendit ei *Omne bonum*, hoc est, se in figurâ illâ corporeâ repræsentatum.

S. Paulus fuisse solam videtur in miro quodam raptu, nec vidisse quidquam dicitur, sed audivisse. Videatur Vasquez hic d. 55. & Suarez 1. p. lib. 2. cap. 3. num. 17. qui vult S. Paulum ad summum vidisse Christi humanitatem.

Dices, ex locis Scripturæ supra citatis, quòd in iis dicantur Angeli *videre faciem Patris, videre Deum* &c. colligimus claram Dei visionem, sed eodem modo loquitur Scriptura de Moyse; ergo vel ipse etiam vidit clarè Deum, vel nihil ad claram Dei visionem astruendam ex hisce Scripturæ locis deducitur. Resp. communem esse Ecclesiæ sensum, priora Scripturæ loca propriè accipi debere, & ita sine incommodo sumi possunt, quod de posterioribus dici nequit, cum Scriptura contrarium alibi directè asserat, ut *Deum nemo vidit unquam: Non videbit me homo & vivet: Non poteris videre faciem meam, &c.* Lata ergo inter hæc & illa Scripturæ loca est disparitas.

Addo solum, si cuiquam ex puris creaturis, in hac mortali vitâ clara Dei visio fuerit concessa, id jure meritissimo de Beatissimâ Virgine asserendum; id enim prærogativa Matris Dei, id eximia in omni virtutum genere perfectio, id denique summa ejus dignitas & excellentia postulat. Quam proinde, licet de aliis omnibus neget, hoc tamen privilegio ornatam fuisse asserat Suarez hic, lib. 2. cap. 30. num. 18. Nontamen ei displicebit, ut retè P. Grando hic, Tract. 7. d. 1. n. 15. si eam ex generalibus Scripturæ dictis non eximamus, nisi ubi Ecclesiæ accesserit auctoritas.

VIII.

Moyse, non nisi in specie corporeâ Deum vidit.

IX.

Quid illis verbis, Ostende mihi faciem tuam petierit à Deo Moyses.

X.

Quid de S. Paulo existimandum.

XI.

Quadam Scripturæ loca propriè, quadam metaphoricè sunt intelligenda.

XII.

Quid de Beatissimâ Virgine hac in re existimandum.